



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA CANELOSENSIS* APOSTOLICA PRAEFECTURA
CANELOSENSIS

AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI ATTOLLITUR.

Apostolica praefectura Canelosensis anno millesimo nongentesimo tricesimo orta ea cepit his temporibus incrementa eaque promisit, ut visum sit eandem ad vicariatus apostolici dignitatem evehere. Quod profecto non solum sodalibus Ordinis Fratrum Praedicatorum testimonio erit voluntatis ac benevolentiae Nostrae in eos, qui omnem industriam suam in regno Christi proferendo collocaverunt, sed etiam animum addet, spes est, ad novos labores et opera christiani nominis propagandi gratia. Quae cum ita sint, de sententia Sacrae Congregationis Fidei Propagandae consilioque audito venerabilis Fratris Alfredi Bruniera, Archiepiscopi titulo Claudiopolitani in Honoriade atque in Aequatoriana Republica Apostolici Nuntii, Nostra suprema auctoritate sequentia decernimus. Apostolicam praefecturam Canelosensem ad vicariatus apostolici gradum attollimus, *eodem nomine* iisdemque finibus servatis, eamque Fratribus Ordinis Praedicatorum regendam concedimus. Quod autem ad vicariatus apostolici regimen, administrationemque attinet, cetera eiusmodi, iuris canonici normae servantur atque peculiare leges a Sacra Congregatione Fidei Propagandae datae. Has autem Litteras venerabilis Frater Alfredus Bruniera, quem memoravimus, ad exitum adducet, vel per se ipse vel per legatum virum, factis ad hoc necessariis facultatibus. Re autem acta, idem documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si alius eo tempore Apostolicae in Aequatoriana Republica Nuntiaturae praeerit, hic mandata Nostra faciat.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose servantur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic

haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN Congr. de Prop. Fide Praefectus</p>
---	--

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Sylvius Romani, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 8, pp. 561-562 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana